



dales commissionum eligi posse etiam Patres cardinales, partem non habentes in aliis commissionibus et in consilio praesidentiae.

Hora 10,30 congregatio finem habuit prece *Agimus...* a praeside recitata.

II

Congregatio generalis secunda habita est feria III, die 16 octobris, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.358 Patres, nempe 79 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 426 archiepiscopi, 1.726 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 88 superiores generales.

P. D. Casimirus Morcillo González, arch. Caesaraugustanus, Missam lectam de Spiritu Sancto celebravit.

Post Missam, Concilii secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, S. Evangelii codicem ad altare detulit et super paratum thronum statuit.

Card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, omnibus stantibus, orationem *Adsumus...* recitavit.

Ab assignatoribus locorum Patribus opusculum distributum est, cui titulus: *Patrum Conciliarium indices sicut a conferentiis episcopalis exhibiti sunt ad commissiones S. Concilii eligendas.*

Card. Alfredus Ottaviani, loquendi licentia a praeside obtenta, ad electiones citius concludendas, proposuit ut maioritas, etsi relativa tantum, sufficeret.

Card. Franciscus Roberti animadvertit Codicem Iuris Canonici sapienter admittere maioritatem relativam tantum post duas suffragationes inefficaces.

Card. Ernestus Ruffini, nomine consilii praesidentiae, monuit non posse a Patribus mutari quod iam statutum erat a Summo Pontifice. Propterea suffragatio facienda erat, et eius exitus approbationi Summi Pontificis submitti posset.

Card. Tisserant eandem sententiam expressit.

Tandem Concilii secretarius generalis annuntiavit suffragationem faciendam esse iuxta normas statutas; postea, si necesse esset, postulatam card. Ottaviani ad Summum Pontificem deferri posse.

Item communicavit Summum Pontificem elegisse quattuor subsecretarios Concilii: Casimirum Morcillo González, arch. Caesaraugustanum, Ioannem Villot, arch. tit. Bosporanum, coadiutorem c.i.s. Lugdunensem, Ioannem Krol, arch. Philadelphensem Latinorum, Vilelmum Kempf, ep. Limburgensem.

Deinde monuit Patres schedas in aula vel domi conficere posse,



dummodo secretariae generali, manu, ante horam 18 illius diei eas traderent; subsignationem autem non esse necessariam.

Nomine consilii praesidentiae Patres rogavit ut in suffragiis exprimendis a plausu se abstinerent.

Denique nuntiavit proxima hebdomada disceptationem inceptum iri a schemate *de sacra Liturgia*.

Card. Ottaviani notavit necessitatem subscribendi schedas eo vel magis quod ipsae poterant extra aulam confici.

Deinde lectae sunt moniti secretarii generalis translationes in linguas vernaculas hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam, italicam.

Indicta tertia congregatione generali, habenda die 20 octobris, hora 9, plures Patres abierunt, reliqui vero in aula manserunt ut schedulas conficerent.

III

Congregatio generalis tertia habita est sabbato, die 20 octobris, hora 9 antemeridiana. Interfuerunt 2.340 Patres, nempe 77 cardinales, 7 patriarchae, 7 primates, 415 archiepiscopi, 1.727 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 84 superiores generales.

P. D. Martinus Jansen, ep. Roterodamensis, Missam lectam celebravit, qua absoluta, Concilii secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit: *Exeant omnes*.

P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, S. Evangelii codicem ad altare detulit et super paratum thronum statuit.

Coetui praefuit card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, qui precem *Adsumus...* recitavit, omnibus Patribus stantibus.

Secretarius generalis ex ambone proclamavit nomen praesidis congregationis. Dein communicavit Summum Pontificem, audita relatione de suffragatione et scrutatione peractis pro eligendis sodalibus commissionum conciliarium, dispensare a praescripto art. 39 *Ordinis Concilii celebrandi*, atque, sanationes concedendo quatenus opus esset, electos habere primos sexdecim praesules qui in unaquaque commissione maiorem suffragiorum numerum retulerint. Huiusmodi nuntium diversis linguis lectus est: lingua hispanica a P. D. Morcillo, lingua gallica a P. D. Villot, lingua anglica a P. D. Krol, lingua germanica a P. D. Kempf, lingua arabica a P. D. Nabaa.

Deinde secretarius generalis electorum nomina publicavit pro commissionibus de doctrina fidei et morum, de episcopis et dioecesium regimine, de ecclesiis orientalibus, de disciplina cleri et populi christiani,